



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs XII. De oppositione actuum intellectus, nec non etiam voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

Apollinaris, Albertus, & Auerroës, alique non pauci. Ratio huius est, quia licet visio definiatur perceptio coloris, propterea arbitrandum non est, nihil eam percipere posse, nulliusque visionem esse posse, nisi quod lux fuerit, aut color: siquidem alibi à nobis ostensum est, eam percipere, ac videre carentias, vibrationes, distantias, durationesque rerum, aliaque sensibilia, ut aiunt, communia: quare sensus eius definitionis est; obiectum formale visionis esse colorem siue lucem, & cum alterutra harum qualitatum, aut certe utraque sufficiat, ut oculi videant, nullum tamen aliud obiectum absque illis, siue sine ordine, & habitudine ad illas posse conspici: unde visio supra se reflectens suimet erit visio, eo quod seipsam non nisi per modum vnius cum colore aut luce, & per habitudinem ad utrumlibet horum obiectorum se percipiat, alioqui se neutiquam perceptura. Adice tandem, hoc argumento, si cuius est ponderis, reuera probari, esse non posse, ut visus materialis suos actus per alios etiam realiter distinctos cognoscat, aut ita quidem in eos reflectat: ergo si fas est à sensu ad intellectum, à visione externa ad internam arguere, nec fieri poterit, ut intellectus in suos actus etiam per alios realiter distinctos reflectat: hoc autem, & ratio, & experientia, & auctorum omnium consensui repugnat. Quin etiam illud prius, nempe visum externum, nec eodem, nec diuerso saltem actu posse functionem suam percipere, aut in eam reflectere, omnino falsum esse videntur Alexander, Themistius, Simplicius, alique multi, & graues Doctores, quorum sententiam ex professo confirmare non est huius loci.

40 Denique opponens B. Thomam 1. part. quæst. 87. art. 3. ad 2. *Ipsū intelligere humanum non est actus, & perfectio naturæ intellectæ, ut sic possit uno actu intelligi naturæ rei materialis, & ipsū intelligere, sicut uno actu intelligitur res cum sua perfectione: unde alius est actus, quo intellectus intelligit lapidem, & alius est actus, quo intelligit se intelligere lapidem, & sic deinde.* Fateor hæc verba indicare, B. Thomam nobis esse contrarium: fortassis tamen hoc tantum voluit, ut plurimum fieri non posse, quin intellectus noster uno actu intelligat obiectum directè sibi propositum, & alio se illud intelligere: sicut etiam quod paulò supra dixit, cognitionem Angeli non per aliam distinctam, sed per semetipsam in se reflecti, haud accipiendum est, quasi id ita semper accidat, sed quasi sæpè: constat enim, Angelum aliquando cognoscere vnam cognitionem suam per aliam, ut cum meminit se quidpiam cognouisse. Atque hæc sunt argumenta potissima, pro Nominalium opinione quamlibet reflexionem vnius actus nostri in semetipsum inficiante: ea autem, & non alia, quod sciam, fieri solent pro tertia sententia ad finem cap. primi memorata, & negante, non omnem actuum nostrorum in seipsos reflexionem, sed duntaxat claram atque distinctam: ad minimum enim hanc impossibilem esse videntur suadere argumenta superiora. Sed quod non suadeant, nostras solutiones expendenti liquebit. Hactenus ut plurimum de reflexione actuum intellectus in seipsos: quidquid autem de ea dictum est, id omne applicari potest, & debet ad modum quo possunt supra se reflectere voluntaris actus: quapropter eorum reflexio nemini iure videri potest à nobis prætermissa.



TRACTATUS XII.

De oppositione actuum intellectus, necnon etiam voluntaris.

CAPVT I.

Quousque opponantur assensus, & dissensus amorque efficax, & odium de eadem obiecto?

PATER Suarez tom. 2. metaphysic. disp. 45. sect. 4. & tom. 1. in 3. part. disp. 38. sect. 3. & cum eo per plures Philosophi, ac Theologi tuerentur, ne diuinitus fieri posse, ut intellectus eidem obiecto simul assentiatur, & dissentiat; aut voluntas eandem rem efficaciter amet, & simul efficaci prosequatur odio. Communioris autem sententiæ commune fundamentum ita se habet. Inuoluit contradictionem, ut intellectus obiecto euidenter falso assensum præbeat, aut quod voluntas obiectum impossibile, cognitum, ut tale, efficaciter intendat: at si intellectus simul haberet assensum, & dissensum eiusdem obiecti, rei euidenter falsa assentiret, & voluntas etiam amore, & odio efficaci idem obiectum semel prosequens, eo ipso rem impossibilem, ut talem sibi propositam efficaciter veller: ergo, &c. Minor suadetur: quoniam obiectum aliquod simul esse, & non esse, est euidenter falsum, ac impossibile: sed intellectus eidem obiecto simul assentiens, & dissentiens, affirmaret rem simul esse, & non esse; esse quidem per assensum; & non esse per dissensum: ergo aliquid euidenter falsum affirmaret. Rursus: aliquid bonum simul esse, & non esse est omnino impossibile: sed voluntas odio, & amore efficaci eandem rem simul complectens efficaciter veller idem simul esse, & non esse; esse per amorem; non esse per odium: ergo veller efficaciter aliquid impossibile.

2 Maior argumenti quoad primam eius partem suadetur: quia sicut malum seclusa quauis ratione boni repugnat esse obiectum amoris, ita etiam falsum, quoad tale, nequit esse obiectum assensus: & quemadmodum visio corporalis, quoniam tendit sub ratione coloris, ac suapte natura definitur externa quædam sensatio coloris, quod non fuerit color, hoc etiam diuinitus ea percipere nequit; ita similiter, cum assensus intellectus tendat sub ratione veri, quod verum ei non apparet, neque videtur, sed potius est euidenter falsum, hoc ab eo ne supernaturaliter poterit affirmari. Iam vero quoad secundam partem eadem maior probatur: tum æqualitate quadam rationis: tum etiam, quia bonum impossibile propositum ut tale, malum potius est, quam bonum: sed voluntas obiectum præcisè malum amare nequit: is enim voluntatis actus esset, & non esset amor; esset quidem amor, ut supponitur, non esset amor, quoniam hic definitur prosecutio boni.

3 Huic tamen argumento responderi potest, imprimis eius maiorem propositionem adeò veram non esse, & diuinitus fieri posse, ut quis supernaturaliter, ac miraculosè assensum præbeat alicui obiecto, quod sibi tanquam euidenter falsum proponitur: nam intellectus assentit etiam naturaliter obiecto, quod sensibus euidenter falsum apparet, eorumque errorem corrigat,

cortigit, atque, ut aliis exemplis supersedeam, quam visus negat distantiam, adstruit tamen, & quam sensus hic adstruit continuitatem, è diverso negat: quo spectat illud Nasonis lib. 8. metamorph. de Acheloo Theseum alloquente, & Echinadas insulas procul sitas ostendente.

Annis ad hac, non est, inquit, quod certimus unum. Quinque iacent terræ, spatij discrimina fallunt.

Similiter ergo ratio saltem diuinitus, assentire poterit obiecto, quod per vim apprehensiuam tanquam euidenter falsum ei proponitur. Deinde ad rationem assensus satis est, ut tendat sub ratione veri, ut rationes pro maiori propositione aduersantis argumenti propositæ contendunt, atque conuincunt: ac assensus obiecti, quod per apprehensionem præuiam euidenter falsum repræsentatur, nihilominus poterit tendere sub ratione veri; siquidem obiectum ut verum affirmabit, si datur, taleque obiectum erit apparenter verum per assensum, quantumvis per apprehensionem præuiam euidenter falsum.

4 Præterea responderi potest, ut maior argumenti vera sit, quod in eius inferitur minore, neutiquam sequi. Etenim si intellectus absque vlla apprehensione præuiam eidem obiecto simul assentiret, & dissentiret (haud enim accedo P. Hurtado disp. 10. de anima, sect. 1. & aliis negantibus de potentia absoluta existere posse iudicium vllum sine apprehensione, à qua pendeat) tunc certe obiectum simultanei assensus, & dissensus non esset euidenter falsum per vllum actum intellectus: non enim per apprehensionem, quæ in ea hypothese nulla esset: nec per complexionem assensus, & dissensus, quæ obiectum, non ut falsum, sed potius ut verum intellectui proponeret. Ad hoc, intellectus eidem obiecto assentiens simul, atque dissentiens haudquaquam affirmaret idem simul esse, & non esse, si similtas appelleret supra obiectum affirmationis, sed solum, si similtas illa referatur ad assensum, & dissensum: at idem simul esse, & non esse solum est euidenter falsum, & impossibile, cum similtas ex parte obiecti, non verò ex parte actus se tenet. Hac ratione non est impossibile, sed potius necessarium, ut voluntas possit simul amare, & non amare, si similtas supra potentiam voluntatis, non vero supra amorem, & carentiam amoris recidat. Hoc etiam ritu, videt Deus simul, & in eodem instanti, Petrum, v.g. esse, & non esse: neque in hoc visionis genere vlla est repugnantia, si similtas, & vnitatis instantis ad visionem Dei, non vero ad esse, & non esse Petri respiciat.

5 Hinc etiam defendi potest, voluntatem simul velle, & nolle posse efficaciter idem obiectum de potentia Dei absoluta, & extraordinaria: tum quia voluntas in ea hypothese rem simul esse, & non esse efficaciter intendens, obiectum ut apparenter possibile, ac bonum munere alicuius saltem apprehensionis falsæ, non verò ut impossibile, ac malum vellet, atque intenderet: tum etiam, quia verius est, fore, ut in tali euentu voluntas non vellet obiectum idem simul esse, & non esse, similtate se tenente ex parte obiecti, qua sola ratione obiectum malum est, atque impossibile, sed ex parte solius actus, quo pacto vacat omni malitia, & impossibilitate.

6 Quapropter magis probabilem arbitror opinionem Paludani in 3. distinct. 15. quæst. 2. & Gabrielis in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. plurimumque Nominalium, & nonnullorum ex nostris censentium, diuinitus fieri posse, ut assensus, & dissensus eiusdem obiecti in eodem intellectu, & amor, & odium efficax eiusdem boni in eadem voluntate componi possint: amque probò, in primis, quoniam non inuoluitur

vlla contradictio terminorum, aut repugnantia in eiusmodi actuum coniunctione; quæ enim obiecta est in argumento superiori, ex huius solutione à nobis tradita liquet, quam sit nulla: talis ergo coniunctio, seu compositio haud est deneganda absolute potentia creatoris. Secundo: quoniam physice qualitates inuicem contrariæ in gradu excellenti, & intenso, v.g. calor, & frigus possunt diuinitus componi in eodem subiecto, eique denominationes suas impertire, ut contra lauellum, Capreolum, & plerosque Thomistas docent Suarez, Hurtadus, Ariaga, & communiter nostri auctores: quo autem iure non vacat in præsentem ex professo, & pro rei dignitate disputare: satis habeo, id exemplo quodam declarare: duo corpora sese ab eodem loco naturaliter expellunt; & tamen supernaturaliter in eodem loco penetrari possunt, & aliquando sunt penetrata, videlicet cum Christus est ex intemerata Virgine natus, aut cum inuoluto sepulchri lapide rediuius surrexit, aut cum cælos gloriosus ascendit: tamen si ergo calor, & frigus penes intensos gradus in eodem subiecto naturaliter impossibilia sint, nihilominus componi poterunt supernaturaliter, & per miraculum: quidni ergo similiter in eodem intellectu, aut voluntate qualitates intentionales, cuiusmodi sunt assensus, & dissensus, amor efficax, & odium? quod enim harum qualitarum obiecta sint contradictoriè opposita, quæ ratio in illis prioribus haud procedit, nihil interest: namque haud esse debet tanta oppositio assensus, & dissensus, amoris, & odij, quanta obiectorum, quæ respiciunt formaliter, aut virtualiter, siquidem carentia rei, & eius existentia ita sunt opposita, ut ne vniuoce conueniant in ratione entis, aliæ positiua: at assensus, & dissensus, quorum alter fertur in carentiam rei, eamque quodammodo adstruit, & alter in existentiam rei, non ita sunt opposita, ut saltem prædictam conuenientiam non suscipiant: amorique, & odij par est ratio.

Enimvero oppositionem earum qualitarum intentionaliū tantum esse, ut ex natura rei, & secluso miraculo componi nequeant, omnes, quos viderim scriptores docent: & merito: quis namque in se non experitur earum luctum, & impossibilitatem; quis non, si rei alicui præbeat assensum, ei se non posse tunc temporis dissentire, aut, si dissensum, neutiquam assentiri, atque similiter quod amat, hoc simul odisse non posse, aut quod odit, neutiquam amare? quo spectat illud Gregorij magni homil. 37. in Euang. *An simul odisse possumus, & diligere?* Alia id genus testimonia innumera possem afferre; sed in te perspicua, & confessæ, nec liber, nec licet esse longiori. Rursus: quando possumus assentiri, vel dissentiri, amare, vel odisse, possumus autem sapissime, tum iuxta omnes censetur libertatem habere contrarietatis: atqui libertas illa est ad extrema inuicem impossibilia, & contraria, ut ex ipso vocis ethymo constat: tales ergo actus ex natura rei opponuntur. Tertio: assensus cum aliquo actu intellectus est impossibilis merito suæ perfectionis, & amor efficax similiter cum aliquo voluntatis actu, ut manifestissime patet exemplo caloris, verbi gratia, qui si sit perfectus, & intensus, siigiditatem expellat assignari nequit alius actus, cui naturaliter repugnet assensus, nisi dissensus, aut cui amor efficax, nisi odium. Atque hinc emergit vltima nostræ sententiæ probatio: nam qualitates physice, quandoque perueniunt ad excellentem, & perfectum intensiōis gradum, eo ipso sese reiciunt experientia teste, nec naturaliter in vno morantur subiecto: à fortiori ergo qualitates intentionales perfectionem suam sortitæ, videlicet assensus,

sus, & dissensus, amor efficax, & odium, sese expellent, nec in eodem subiecto naturaliter esse sustinebunt. Quas probationes attuli propter non neminem, qui aduersus omnes auctores, quotquot prælo sua scripta mandarunt, ausus est impossibilitatem qualitatum intentionalium in dubium reuocare.

8 At obiicies, posse, & solere quem naturaliter tristiari simul, & delectari, quidni ergo amare, & odisse rem aliquam efficaciter, aut assentire, & dissentire per intellectum alicui? Respondeo, fieri non posse ex natura rei, ut quis tristetur simul, ac delectetur, per motus voluntatis efficaces & perfectos, de eodemmet obiecto, esto queat de diuersis, veluti docet P. Suarez disp. illa 45. metaphys. sect. 4. & apud eum Alexander, Zimara, & B. Thomas. Obiicies secundo: si quis pro priori aliquo naturæ, ac rationis signo asserat, v. g. Petrum currere, poteritis quamuis non pro eodem, ac certè pro alio posteriori asserere, Petrum non currere, cum videlicet pro posteriori possit errorem suum agnoscere, nec repugnet ex natura rei velut certius ei statim proponi contrarium eius, quod antea affirmauit. Respondeo, signorum naturæ diuersitatem, quam ratio in eodem instanti reali considerat, consideratamque hoc ipso facit, nihil conferre aduersariis, haud aliter, atque ea ad qualitates physicas inuicem contrarias componendas tamen, nullatenus conducit: potè si quis comperiat, Petrum, v. g. non currere, idque velut certum apprehendat in eodem instanti reali, quo tamen asseruit eum currere, hoc eo valebit, ut errorem suum in sequenti temporis articulo siue instanti deponat, & à priori iudicio desistat, non vero ut contrarias assertiones iungat: aliqui deceptionem, ac falsitatem euitaturus, in eam necessariò incidit, cum fieri non possit, quin, si non verumque, ac certè alterum iudicium eorum, inter quæ fluctuat, erroneum sit, ac falsitati obnoxium.

9 Denique obiicies, Auerroem 6. metaph. comm. 8. in ea esse sententia ut existimet, propositiones contradictorias naturaliter esse posse simul in eodem intellectu. At quid refert, ita si sentit Arabs contra ceteros auctores, & experientiam manifestam? Deinde verius est, eum loqui de propositionibus, non quæ sint iudicia circa idem obiectum opposita, sed potius, quæ sint apprehensiones compositæ circa eandem rem contrariæ quodammodo, aut certè, ut eum interpretantur nostri Conimbricenses, in cap. 4. de oratione, questione 4. articulo 1. quæ sint apprehensiones simplices vocum iudicia opposita significantium.

C A P V T II.

An possint esse in eodem intellectu circa idem obiectum actus evidens, ac scientificus: actusque inevidens fidei, vel opinionis?

10 P O S S E censent Suarez, Valentia, Vasquez: & ex antiquis Bonauent. Alexand. Albert. Gabriel, & alij non pauci: quorum sententiam ut magis veram, & inter nostros magis communem amplector, eamque in hunc modum probo. Multa cognoscimus euidenter, quæ tamen fide diuina nobis creduntur: notitia igitur evidens, & inevidens eiusdem obiecti in eodem intellectu non modò compossibiles sunt, sed etiam modo componuntur. Id suadetur: quia Deum esse, & bona opera remunerari, & visibilia, ac inuisibilia fecisse præmissis suis stare, aliaque

similia euidenter cognoscimus, ac lumine rationis naturalis assequimur: at hæc eadem fide diuina credimus, ut constat ex Pauli ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex inuisibilibus visibilia fierent.* Et paulò infra: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et ad Roman. cap. 4. de Abrahamo, Deum infidelem non esse, sed potius veracem haud dubiè sciente, ac euidenter cognoscente sic ait: *In re promissione Dei non hastrauit dissidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo plenissimè, sciens quia quacunque promissus, potens est & facere.*

Respondent non pauci Thomistæ cum Capreolo, cum, qui euidenter scit mysteria aliqua fidei nostræ ea non credere, eo quod accedente notitia euidenti mysteriorum, illico pereat habitus fidei, per quem ea credi possent: haud aliter ac accedente visione Dei fides actualis aboleri communiter putatur. Bene nobiscum actum est, quòd hæc doctrina nostra non sit: quas enim non censuras in nos aduersarij despumarent: iis tamen prætermisissis, ratione sic argumentor, Fides habitualis iuxta apertam etiam B. Thomæ doctrinam non remittitur, nec diminuitur, sed quouis decremento tota deperditur: vir igitur doctus fidem habitualement circa aliquas veritates à se euidenter cognititas amittens, eam circa omnes amittit, habitusque fidei omnino spoliatur: cum autem Apostolo testante sine fide impossibile sit placere Deo, sanè viros doctos impossibile erit placere Deo: quod manifestè falsum esse, vel ne sibi ipsis iniuriam faciant, aduersarij fatebuntur. Præterea si habens fidem habitualement alicuius mysterij, eius notitiam euidentem habere nequit, sed hæc cum illa repugnat: ergo similiter habens scientiam habitualement alicuius mysterij, verbi gratia, existentie Dei, eius actualement fidem habere nequit: quo fit, ut Philosophus Gentilis nisi literam, scientiamque acquisitam discat, atque de sapiente insipiens fiat, iustificari, aut ad Deum conuerteri non possit: consequens est falsum. Sequela probatur: siquidem eiusmodi Philosophus de aduersarij sententia nequit credere Deum esse, utpote eum esse euidenter sciens: cum ergo iuxta Apostolum accedentem ad Deum oporteat credere, quia est; fieri non poterit, ut Philosophus ille, nisi talis definat esse, ad Deum accedat. Quod autem responderet Caietanus, credere apud Paulum eo loci non actum fidei, sed quemcunque assensum certum significare, & contextui ipsius Pauli, & Patribus, & Concilio Tridentino sessione 6. capite 6. aperte repugnat.

Respondent alij recentiores cum Vega libro 6. in Trident. cap. 21. eum, qui euidenter cognoscit mysteria aliqua à Deo reuelata, habere quidem fidem habitualement eorundem: ceterum non posse ea actu credere in sensu composito notitiæ, per quam illa euidenter cognoscit; Deumque excitatis speciebus ad eiusmodi notitiam euidentem eo ipso suspendere concursum suum, cum habitu fidei ad producendum actum fidei circa obiectum clare cognitum, ne videlicet actus impossibiles componantur. Verum hæc solutio facile impugnat: nam iuxta illam habitus scientiæ, & habitus fidei compossibiles erunt, totiesque componentur, quoties aliquis fidelium plures actus euidentes circa nonnulla mysteria reuelata elicit, eorumque scientiam habitualement acquirit. Ex hoc autem, quod aduersarij concedunt, sequitur id, quod negant: videlicet actus etiam fidei, & scientiæ circa idem obiectum compossibiles esse: etenim quoties habitus aliqui inter se distinguuntur, ac diuersa obiecta respiciunt, tantundem inter se opponuntur,

opponuntur, quantum eorum actus oppositi sunt, ut in actibus, & habitibus temperantiæ, verbi gratia, & intemperantiæ manifestè cernitur: habitus igitur fidei, & scientiæ æquè opponuntur, ac eorum actus: quare si horum actus ex natura rei oppositi sunt, atque in eodem intellectu non cohærent, sanè ipsi habitus parum habebunt oppositionem: cum igitur iuxta aduersarios eam non habeant, actus etiam fidei, & scientiæ ea necessario carebunt.

13 Rursus probatur nostra sententia, ac potissimum, & ferè vnicum Thomistarum, & Scotistarum argumentum obiter dissolvitur. Actus fidei, & actus scientiæ circa idem obiectum non comparantur, velut forma, & priuatio formæ; quamuis alter clarus, alter obscurus sit: hoc enim si ita esset, vnum idemque obiectum clarè, & obscurè ab eodem intellectu simul cognosci non posset: haud aliter ac idem aer simul clarus, & obscurus esse non sustineret: comparantur igitur velut actus perfectus, & actus imperfectus: fides enim vivit obscura sit, positiua tamen lux est, & ita se habet respectu lucis scientifiæ, sicuti lux lucernæ respectu lucis solaris, ut Beatus Petrus innuit loquens de testimonio prophetico his verbis: *Cui benefacitis attendentes tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco.* At actus perfectus, & imperfectus circa idem obiectum in eodem intellectu impossibiles non sunt: tum quia apprehensio, & iudicium vnius, eiusdemque obiecti in eodem intellectu simul concurrunt: tum etiam, quia idem obiectum, conclusio, & præmissæ, illa clarè, & explicite; hæ vero obscurè, & implicite, attingunt: tum denique quia voluntas eiusdem obiecti amorem inefficacem, & odium efficacem habet; aut è contrario amorem ac volitionem efficacem, ac simul etiam volitionem inefficacem: toties nimirum, quoties aliquid cum repugnantia omittit, vel exequitur: ex quo etiam fit, ut à fortiori voluntas eiusdem obiecti amorem efficacem, & amorem inefficacem habere queat. Quod diximus de actu claro, & obscuro in eodem intellectu circa idem obiectum compossibilibus: dictum puta de actu certo, & incerto; fide nempe, & opinione: quamuis cum Beato Thoma, & Scoto vtriusque alliculæ oppositum tueantur.

CAPVT III.

An idem actus intellectus possit esse clarus, & obscurus; aut certus, & incertus respectu diuersorum obiectorum formalium, vtriusque obiecti materialis?

14 Respondent affirmatiuè Valentia vbi suprà, Molina, Fonseca, Capreolus, Hispalensis, Durandus, & alij antiquiores: quorum sententia satis patet ex dictis à nobis suprà lib. 2. traët. 4. cap. 6. ibi docuimus, eundem actum intellectus posse esse simul apprehensionem, & iudicium; affirmationem, & negationem respectu diuersorum: item eundem voluntatis actum posse esse amorem, & odium; intentionem, & electionem respectu diuersorum: ergo similiter in præsentī &c. Oppositum tamen censent innumeri Thomistæ, & non pauci extra scholam Thomisticam, inter quos est P. Suarez disputatione 3. de fide sectione 9. per totam. Commune huius sententiæ fundamentum huiusmodi est: si aliquis actus reapse idem posset simul esse clarus, & obscurus; aut certus; & incertus respectu diuersorum;

sanè idem actus posset esse simul fides, & scientia; aut fides, & opinio respectu diuersorum: consequens autem est absurdum, quia nulla res in se eadem potest constitui in diuersis speciebus; aliàs eadem qualitas materialis posset esse simul albedo, & dulcedo; eademque substantia singularis completa, posset esse simul homo, & equus: at si idem realiter actus foret fides, & scientia; aut fides, & opinio: haud dubiè talis actus in se vnus, idemque in diuersis speciebus esset: cum fides, scientia, atque opinio diuersas actuum species omnium confessione constituent.

15 Huic argumento respondent aliqui cum Capreolo, actum simul clarum, & obscurum non fore simul fidei, & scientiæ, sed solum solius scientiæ; etsi fidem nonnihil sapiat. Verum in primis, cur è contrario non dicitur, actum illum esse solius fidei, & aliquantulum ad scientiæ conditionem accedere? Deinde si actus ille non est fidei, & scientiæ, ne sit in diuersis speciebus; ergo neque etiam erit clarus, & obscurus, ne sit in diuersis generibus. Alij respondent cum Molina, & Fonseca eiusmodi actum simul clarum, & obscurum non esse formaliter fidei, aut scientiæ, sed potius actum quandam diuersæ speciei, & qui vtriusque perfectiones eminenter tantum contineat. Verum, cum actus ille sit formaliter clarus, & obscurus, & non eminenter tantum; cur etiam non sit formaliter fidei, & scientiæ? præsertim cum ex vtroque idem sequatur inconueniens: haud enim magis abscondat, idem esse in diuersis speciebus, quam esse in diuersis generibus. Respondendum igitur est, cum Valentia, & aliis, eundem actum intellectus posse esse simul fidei, & scientiæ comparatione diuersorum obiectorum, eumque actum ad diuersa species attingere. Quod ut innotescat, animaduertere est, species diuersas interdum esse oppositas: cuiusmodi sunt homo, & equus; quorum alter per animal rationale, alter vero per animal irrationale, & hinnibile finitur: aut etiam albedo, & nigredo; quarum vna visum congregat, alia disgregat: aut demum, ut aliis exemplis superscedam, grauitas & leuitas, quarum hæc sursum: illa deorsum propellit. Interdum vero diuersæ species separatæ tantum, non vero oppositæ sunt: ut albedo, & dulcedo; quæ in eodem subiecto se compatiuntur, & contrarios effectus non habent, aliæque similes qualitates, aut substantiæ, quas referre nihil refert.

16 His constitutis dicendum est, eandem numero rem non posse spectare ad diuersas species oppositas; aliàs quidem eadem substantia, homo, & equus existens, animal simul rationale, & irrationale esset: & qualitas, identicè albedo, & nigredo, visum simul congregaret, & dissiparet: & qualitas, aut substantia simul existens, grauitas & leuitas sursum simul, ac deorsum rem impelleret. Cum vero species sint disparatæ, non repugnat, eandem omnino rem ad eas simul attingere, aut sub iis contineri: v.g. eandem numero qualitatem esse simul candorem, & dulcedinem; in alia videlicet rerum serie, quamuis in hac ob separabilitatem vtriusque aliter se res habeat. Hoc ut verum esse scias, recolenda est communissima in scholis opinio, & vel de plurium aduersariorum arbitrio verissima, iuxta quam non implicat, eundem realiter conceptum ad diuersa prædicamenta, siue suprema genera attingere, v.g. eandem rem esse simul relationem, & substantiam; aut quantitatem & substantiam; aut actionem, & passionem: non alia ratione, nisi quia huiusmodi genera non sunt opposita, sed disparata; cum tamen, si opposita essent, eadem res in illis simul esse non posset. Quo fit, ut eadem numero res,

res, relatio creata, & increata; aut substantia omnino incorporea, & simul corporea esse nequeat. Cur igitur eadem numero res sub diuersis speciebus esse minime sustineat, quando huiusmodi species disparatae tantum, & non oppositae sunt? at fides, & scientia sunt species solum disparatae, & praecise sumptae non opponuntur; utque aliquam oppositionem habeant, ad vnum obiectum formale, non vero ad diuersa comparari debent: quare fides, & scientia in eundem actum coalescere poterunt. Quod autem opponitur, eandem qualitatem non posse esse simul albedinem, & dulcedinem falsum est: quod vero, eandem substantiam non posse esse simul hominem, & equum ad rem non facit, tamen si verum habeat.

C A P V T IV.

An actus evidens saltem intuitivus cum actu inevidenti, & obscuro coherere possit in eodem intellectu circa idem obiectum?

17 **I**llud non mediocrem difficultatem habet, quousque notitia abstractiua non qualiscunque, sed obscura, & confusa cum cognitione intuitiua composibilis sit? Plures namque eorum (etiam qui fidem cum scientia composibilem esse tuerentur, cuiusmodi sunt Bonauent. Vazquez, & Becanus) negant tamen, cognitionem abstractiuam, aut obscuram fidei, aut opinionis cum intuitione obiecti in eodem intellectu componi posse. Ceterum oppositum cum P. Suarez, & Valentia ubi supra mihi magis probatur: quia cum actus clarus, & obscurus componi possint in eodem intellectu, & de eodem obiecto, ut aduersarij non renuunt, id de omni actu claro, & obscuro dicendum erit: quod enim claritas actus sit intuitiua, vel abstractiua, maior, vel minor, parum interest: sicut etiam nihil refert, quod amor aliquis efficax sit naturalis, vel supernaturalis; intensior, aut remissior, ad hoc, ut cum odio efficaci circa idem obiectum in eadem voluntate componatur. Rursus Deipara se sine viro concepit, & sine dolore peperit, & Filio crucifixo adstetit, intuitiue, ac experimentaliter, necnon etiam abstractiue, & per fidem in hac vita cognouit: ergo, &c.

18 Arguunt tamen primo aduersarij auctoritate Scripturae: namque ab Apostolo definitur fides substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Arguunt secundo auctoritate Patrum: nam Augustinus tractatu 79. in Ioannem sic ait: *Nescio utrumne credere, dicendus est quisque quod videt.* Item Bernardus lib. 3. de considerat. *Fidei*, inquit, *est voluntaria pralibatio veritatis nondum propalata.* Et Chrysostomus. homil. 27. *Quid est*, inquit, *quod vultis videre, ut excidatis a fide.* Arguunt tertio:

omnis actus fidei est meritorius, & laudabilis: Sancti, inquit Paulus ad Hebraeos 11. *Per fidem adepti sunt repromissiones.* At nullus actus intellectus de obiecto intuitiue cognito potest esse meritorius, aut laudabilis: cuius enim meriti, aut laudis esse potest credere, quod intuemur, & experimur? Arguunt quarto: habitus fidei diuina in patria amittitur, ut ex Paulo Theologi colligunt: ergo quia actus fidei habituales impossibiles sunt cum intuitione Dei. Tandem opponunt: visio intuitiua est possessio quadam eius veritatis, quam intuemur: conuerso vero assensus obscurus fidei, aut opinionis est quidam conatus intellectus ad possessionem veritatis, & quasi medium ad consequentiam illius: sed qui possidet rem, non conatur possessionem illius, nec adhibet media, ut eam consequatur: ergo qui rem aliquam inuenit, non poterit hoc ipso eius fidem, aut opinionem habere.

19 Haec argumenta, tamen si veri speciem aliquam, ac similitudinem praefecerant, longe tamen ab eo aberrant. Ad primum, & secundum ex Scripturis, & Patribus desumptum respondeo, eorum testimonio id solum conuinci, fidem esse eorum, quae intuitiue non videntur, quaeque non apparent vi eius actus, quae fides est: hoc enim non prohibet, quominus sit rerum intuitiue cognitarum, & clare apparentium vi alterius actus realiter, aut virtualiter distincti a fide. Ad tertium similiter respondeo, assensum obiecto intuitiue cognito praestitum non esse laudabilem, ac meritorium, si sit de obiecto intuitiue cognito per illum actum, secus vero si per alium actum distinctum. Quare fides obiecti intuitiue cogniti per intuitionem a se distinctam laudabilis tamen ac meritoria erit. Ad quartum respondeo, in primis non paucos deesse, qui probabiliter existiment, habitum fidei in patria remanere. Deinde illi ipsi, qui fidem in patria deperdi censent, magna ex parte id tuerentur, non propter impossibilitatem naturalem habitus fidei cum lumine gloriae: cum igitur ipsi actus fidei, & intuitionis eam, impossibilitatem habeant, cum eorum principia duntaxat opponantur, ex solo libito, & arbitrio Dei volentis statum viatorum, & statum comprehensorum duplici illo habitu, quasi duplici character inter se distinguere, atque insignire. Ad postremum argumentum respondeo, intellectum multo magis perfecte possidere obiectum per fidem simul, & intuitionem, quam per solam hanc: quare licet intuens obiectum, illud possideat, poterit tamen ei fidem adhibere, non ut illud possideat absolute, sed ut illud magis perfecte possideat: nec hoc erit applicare media ad finem inutilem, cuiusve usum perfectum iam habeat. Hac ratione anima Christi plura, quae intuebatur in Verbo, per scientiam discursiuam, & naturalem cognoscebat, quantumlibet discursus multo potiori iure sit applicatio mediolorum ad possessionem veritatis, quam fides.